



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Peccato pertinaciter inhærens tanquam obstinatus damnationis iter
ambulat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

omnium disputationes effugias, Et quoniam nuptiæ tria important scilicet benedictionem sponsi & sponsæ, traductionem sponsæ in domum viri, & celebritatem conuiuii, scito tria hæc intelligi his temporibus interdicta. Et quoniam pœnæ non sunt extendendæ, nihil aliud est dictis temporibus interdictum: possunt enim contrahi matrimonia de præsentî, & sponsalia. Vnde putantes euadere violationem legis, & facientes primum tantum (scilicet benedictionem) in sabbato ante aduentum vel septuagesimam, & in dominica reliqua duo, non effugiunt legis iram: plus enim sunt prohibita illa duo, quam primum, quod non, nisi quia simul cum nuptiis fit, intelligitur prohibitum: quia illa sunt carnalia, benedictio est spiritalis.

Reputatur autem mortale peccatum, violare hoc Ecclesiæ statutum. Et merito, si scienter fit: quia quum deliberatè & præparatè ac publicè hæc fiant, & cum scandalo, non videtur posse, nisi contemptu interueniente transgressio huiusmodi scienter esse. Secundum nuptiale peccatum est, superflua vanitas: & vti nam non admixta turpibus verbis & actibus.

Peccato pertinaciter inherens tanquam obstinatus damnationis iter ambulat.

Obstinatio (qua homo pertinaciter inheret peccato) dupliciter incurritur. Primò, per se, hoc est ex intentione: vt quum quis intendit pertinaciter perseuerare in peccato. Et hic est proximus statui damnatorum. Alio modo quasi per viam sequelæ: vt quum homo est adeò habituatus in peccando, & tam delectabile ac connaturale factum est ei versari in peccato, vt nullus aut leuissimus insit illi vnquam motus ad resurgendum in veritate à peccato. Et hic parum distat à damnatorum statu. Vterque tamen potest per Dei gratiam præueniri & conuerti. Primus tamen

non ita difficile, si non ex habitu, sed ex accidente aliquo (puta odio inimici) obstinationem elegit: quoniam transeunte accidente illo curabilis est. Habitus autem tanquam connaturalis factus, difficillime abicitur.

Otiositas periculosa est, eo quia vitiorum nutritiua.

Otium seu otiosum ad vitia translatum est, quod caret necessitate aut utilitate, extenso utilitatis nomine. Et hoc constat esse peccatum, quia à recta dissonat ratione aliquam humanam operationem aut omissionem non regulari ratione recta. Si tamen otium aut otiosum sit nudum (hoc est nihil aliud deformitatis habens nisi otii) veniale est. Fugiendum tamen est valde otium, tanquam dans aditum malis, præcipuè malarum cogitationum cupiditatum, machinationum &c.

Scito tamen laudabile esse otium internum & externum, ad quietem & creationem naturæ intentum: quoniam & hoc habet recta ratio: ut lassis detur requies, sicut & somnus.

Odire bonum peccatum est in spiritum sanctum, & omni rationi & naturæ contrarium.

Odiu boni, peccatum est: quia actus voluntatis habet materiam repugnantem. odii enim materia est malum, sicut amoris materia est bonum. Summi autem boni (quod est Deus) odium grauissimum est scelus: quum nihil sit in Deo, quantum est ex se odibile, utpote pura bonitas, proximi verò aut etiam suis odium peccatum est mortale ex suo genere: utpote directè charitati contrarium: nisi ob imperfectionem actus sit peccatum veniale, vel quia non